

innocentia ipsius, atque error censuræ publice innotuerit. Navarr. *Manual.* cap. xxvii, n. 3. Covarruvias in c. *Alma mater* p. 2, § 7, n. 5. Pirhing, h. t. n. 41, cum communi aliorum, arg. can. *Si quis a proprio* 2, cau. 11, q. 3, et c. 1, eod. cau. et q. ibi: « Sententia pastoris sive justa, sive injusta fuerit timenda est. » Concordat c. *Inquisitioni tuæ* 44, h. t. ubi innocenter, et ob sanctam observantiam legis divinæ, ex justa tamen præsumpta causa in foro externo excommunicatus censuram in eodem foro servare cogitur.

Ratio est: tum quia in foro externo adest causa saltem præsumpta: tum quia hoc necesse est ad publicam utilitatem et disciplinam, ipsamque iudicis ex officio, secundumque allegata, et probata iudicantis auctoritatem, consequenter ad bonum publicum tuendum, cui bono bonum privatum merito postponi debet. Et certe si etiam in foro externo censura servari in tali casu non deberet, malevolis lata aperiretur porta, quaslibet censuras contemnendi; cum dicere possent, se coram Deo esse innocentes quamvis in foro externo per allegata et probata nocentes sint.

43. *Quamvis coram Deo ab ea immunis sit, et in secreto contra eam agere posset.* — Inferitur, quod si clericus a parte rei coram Deo innocens excommunicetur secundum allegata et probata, in foro externo irregularitatem non incurrat, si ita excommunicatus ordinem aliquem exerceat; quia revera excommunicatio fuit nulla: si tamen id facere deprehendatur, vel de hoc in iudicio accusetur, vel conveniatur, tanquam irregularis condemnari potest, cum enim in foro externo censeatur excommunicatus, tanquam irregularis declarari debet, si in tali excommunicatione ordinem exercuisse demonstratur. Imo si monitus ab exercitio ordinis v. g. celebratione Missæ desistere nollet, tunc de novo excommunicari posset, propter suam inobedientiam, contumaciam, et apparentem contemptum potestatis ecclesiasticæ.

44. *Censura est triplex, videlicet: Excommunicatio, suspensio, interdictum.* — Quæritur VIII. Quotuplex sit censura ecclesiastica? Resp. I. Censuræ ecclesiasticæ proprie tales tantum sunt tres, videlicet excommunicatio, suspensio, et interdictum. Ita communissima Doctorum contra Sotum, et alios paucos, cessationem a divinis, et irregulari-

tatem censuris annumerantes. Conclusio nostra patet ex c. *Quærent.* 21, de *Verbor. signif.* ubi Papa interrogatus, quid per Censuram ecclesiasticam intelligatur, respondet, « quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis, et excommunicationis sententia valeat intelligi. »

45 et 46. *Quævis harum alia est a jure, alia ab homine, alia lata, alia ferendæ sententiæ.* — Resp. II. Censura quævis dictarum dividitur ulterius in eam, quæ est a jure, et in eam, quæ est ab homine. Illa est, quæ per sacros canones, constitutiones, aut decreta, vel futura tanquam jura ecclesiastica imposita semper manet etiam mortuo conditore canonum. Ab homine est, quæ a iudice, vel prælato ecclesiastico per modum mandati, aut sententiæ judicialis fertur, ab eoque sic dependet, ut ejus jurisdictione per mortem, vel alio modo extincta, a nemine amplius incurratur, quamvis illi, qui ante finitam hujusmodi jurisdictionem Censura ab eo innotati fuere, ligati adhuc maneant, Laym. lib. 1, tr. 5, p. 1, c. 2. Palao, tr. 29, disp. 1, pun. 2, n. 2.

Rursus dividitur censura, præsertim quæ jure, in latæ, et ferendæ sententiæ. Censura latæ sententiæ est, quæ ipso facto, seu criminis perpetratione, et mandati ecclesiastici transgressione incurritur absque sententiâ condemnatoria. Ferendæ sententiæ censura est, quæ quidem in jure statuta jam habetur, tamen a delinquente non statim ipso facto, seu mandati transgressione incurritur, sed requirit sententiâ iudicis condemnatoriam, debetque primum a iudice infligi. Unde autem colligatur, seu dignoscatur, censuram aliquam esse ferendæ, vel latæ sententiæ, dicemus infra § 3, a n. 79. (ADNOTATIO XLIX.)

§ II.

DE EXCOMMUNICATIONE UT SIC, ET DE EXCOMMUNICATIONE MAJORI IN SPECIE.

47. *Excommunicatio juxta nominis etymon. quid?* — Excommunicatio juxta nominis etymologiam idem est ac extra communionem separatio. In proposito tamen sumitur pro censura ecclesiastica, qua quis a communionem fidelium separatur: prout cum communi, doctores. Excommunicationem ut sic definit Scotus, 4, dist. 19, q. un. § *De quinto*, ubi ait: « Excommunicatio

simpliciter, quæ est sola major, est exclusio alicujus a communionem fidelium. »

48. *Dicitur etiam anathema.* — Porro excommunicatio alio nomine dicitur anathema: græce significat separationem alicujus a cæteris partibus; et quidem frequentius prout ejusmodi separatio fit ab Ecclesia tanquam alicujus execraudi et maledicti, prout hæreses atque hæretici, alique peccatores incorrigibiles ab Ecclesia anathematizantur.

49. *An? et in quo proprie differat anathema ab excommunicatione?* — Interim licet excommunicatio et anathema essentialiter non differant (utraque enim importat alicujus separationem a communionem Ecclesiæ) differunt tamen quoad solemnitatem. Nam excommunicatio quandoque incurritur ipso jure, quandoque profertur per sententiâ iudicis in scriptis comprehensam; anathema vero infligitur cum aliis cæremoniis, ad terrorem cæterorum præscriptis, can. *Debent.* 11, q. 3. Siquidem debent duodecim presbyteri circumstare episcopum, et lucernas ardentes in manibus tenere, quas post latam anathematis sententiâ, in terram projiciunt, et pedibus conculcant: cui solemnitati aliæ quoque maledictiones, et execrationes verbales addi solent. Hinc c. *Cum non ab homine de Judicis* clericus depositus incorrigibilis primum excommunicari: deinde vero crescente contumacia anathematis mucrone feriri jubetur. His prænotatis

50. *Excommunicatio proprie quid?* — Quæritur I. Quid? et quotuplex sit excommunicatio? Resp. Excommunicatio ut sic est censura ecclesiastica, qua homo christianus a communionem seu corpore fidelium excluditur, et bonis, quæ illi inter se communicant, privatur. Ita in re communis, arg. can. *Omnis christianus*, 32, cau. 11, q. 3, ibi: « Omnis Christianus, dilectissimi qui a Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur: quomodo? scilicet quia extra Ecclesiam diabolus est, sicut in Ecclesia Christus: ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab ecclesiastica communionem removetur; unde illos, quos Apostolus Satanæ esse traditos prædicat, excommunicatos a se esse demonstrat. Concordat can. *Canonica.* 107, ead. cau. et q. juncto c. *Si quem.* 59, de *Verb. Signif.* Dicitur censura loco generis. Additur quia homo Christianus, quia infideles, cum nunquam baptizati, consequenter Ecclesiam nunquam adhuc ingressi sint, ne-

que membra Ecclesiæ existant, nequeunt excommunicari; bene vero hæretici, utpote baptizati, et Ecclesiam ingressi. Reliquæ particulæ ponuntur loco differentiæ. Qualiter autem excommunicatio communionem, aliisque bonis fidelium privet, patebit ex dicendis infra de effectibus excommunicationis a n. 54.

51. *Alia est major.* — Resp. II. Excommunicatio præter divisionem, quam cum aliis censuris communem habet, juxta dicta supra § *Præc.* specialiter dividitur in majorem, et minorem. Excommunicatio major est censura ecclesiastica, qua christianus activa et passiva communionem fidelium, bonorumque inter se simpliciter, et quasi ex toto privatur. Est denuo in re communis, præsertim Doctoris Subtilis in 4, dist. 19, q. un. § *De quinto*. Patebitque ex dicendis infra a n. 34.

52. *Alia minor: et quæ?* — Excommunicatio minor est censura ecclesiastica, qua homo Christianus privatur perceptione sacramentorum, c. *Si quem de sent. excomm.* juncto c. *Si celebrat, de cler. excomm.* atque amplius declarabitur infra agendo specialiter de hac excommunicatione § 5.

53. *In jure nomine excommunicationis simpliciter positæ semper intelligitur major.* — Interea notandum quod quancumque in jure decreto, aut sententiâ aliqua simpliciter nominatur, aut profertur terminus excommunicatio, semper intelligatur excommunicatio major, textu expresso c. *Si quem.* 59, h. t. ibi: « Si quem sub hac forma verborum illum excommunico, vel simili excommunicari contingat, dicendum est, eum majore excommunicationem ligatum esse. »

54. *Communio fidelium triplex est.* — Quæritur II. Quinam sint effectus excommunicationis majoris? Resp. Plures, et graves. Patebit inductionem infra a n. 60, ponenda, postquam prius pauca pro faciliore, et clariore intelligentia excommunicationis majoris, et effectuum illius, ex S. Bonaventura declaraverimus, varietates communionis fidelium, vel potius honorum, quibus inter se communicant, explicando notandum itaque, triplicem esse communionem fidelium, qua inter se communicant, videlicet pure internam, pure externam, et mixtam.

55. *Videlicet pure interna.* — Communio fidelium pura interna consistit in fide, charitate, et gratia, qua inter se copulantur et

vinciuntur. Ratione cujus unionis, vel communionis potest unus fidelis alteri de congruo impetrare specialia beneficia, eique, si cæteroquin capax est, applicare proprias satisfactiones, et cæteros fructus suorum bonorum operum, juxta illud David. psalm. 118. « Particeps ego sum omnium timentium te, » et illud in symbolo apostolico, « Credo sanctorum communionem. »

56. *Pure externa.* — Communio fidelium mere externa est, quæ consistit in externo fidelium convictu, colloquio, contractibus, et aliis commerciis externis, indeque mere politica est.

57. *Et mixta.* — Communio fidelium inter se mixta est, quæ in exterioribus quibusdam actionibus, et cæremoniis ecclesiasticis consistens, internum fructum spiritualem ex sua propria institutione operatur: quo spectat imprimis tam activus, quam passivus usus sacramentorum, id est, administratio et perceptio eorum. Item communia Ecclesiæ suffragia, quæ in sacrificio Missæ, aliisque publicis Ecclesiæ officiis ac functionibus, puta horis canonicis, benedictione cinerum, palmarum, et hujusmodi pro universali Ecclesia funduntur. Quibus adde satisfactiones Christi, et sanctorum, quæ ex communi thesauro Ecclesiæ per indulgentias Ecclesiæ applicantur, de quibus communionibus vide etiam Layman, lib. I, tr. V, p. 2, c. 3, n. 2. Covarruviam, in c. *Alma mater princ.* n. 3.

58. *Excommunicatio non privat communionem, et bonis externis.* — Notandum ulterius, certum esse apud omnes, quod excommunicatio non privet communionem pure interna, seu bonis internis; quia Ecclesia nun vult, neque potest privare bonis et virtutibus Fidei, et Charitatis; cum gratia, et charitas habitualis non nisi per propriam culpam mortalem, minime vero per pœnam cujuscumque tandem auferri valeat: et dum etiam per propriam culpam mortalem amittitur, recuperari potest per contritionem perfectam, manente adhuc excommunicatione, qua forsann innodatus existit, textu expresso c. *A nobis.* 28. §. *Vinculum.* h. t. Imo interna fides et spes manere possunt in excommunicatis etiam actuali culpæ mortali adhuc subjectis.

59. *Nec ratione, et fructu bonorum operum, quæ quis ex privata devotione pro aliis peragit, et applicat.* — Insuper certum est, excommunicationem non privare fructu oratio-

num, et aliorum bonorum operum, quæ alii fideles proprio nomine, et privata intentione excommunicatis applicant, sed illo duntaxat fructu, quæ ex orationibus et sacris actionibus nomine Ecclesiæ peractis cuivis fideli non excommunicato obveniunt, ut proin quivis licite et meritorie, simulque fructuose pro excommunicato possit privatim orare, et pia opera peragere, etc. His notatis adducamus effectus in specie, quos producit excommunicatio ex eo, quod privet communionem fidelium. Itaque

60. *Effectus excommunicationis majoris sunt plures, præcipue vero frequentes, videlicet I. Est privatio communionum suffragiorum Ecclesiæ.* — I. Effectus majoris excommunicationis est, privare hominem communionem mixta supra n. 75, allegata, id est, communionibus Ecclesiæ suffragiis, seu fructu et bonis spiritualibus, quæ ex actionibus Ecclesiæ factis cuivis fideli alias obveniunt, de quibus supra cit. n. 97, arg. c. *Sacris*, h. t.

61. *II. Privatio usus activi, et passivi sacramentorum Ecclesiæ.* — II. Effectus excommunicationis majoris est privare excommunicatum usu activo et passivo sacramentorum, ita ut sine peccato mortali nec recipere, nec administrare possit ullum sacramentum; etiamsi in occulto duntaxat excommunicatus, et vitandus non esset, ac insuper per contritionem perfectam apud Deum in gratia jam existeret. Ratio est; quia ageret in re gravi contra Ecclesiæ præceptum quo cuivis excommunicato, donec absolvatur, graviter prohibitus est usus sacramentorum, arg. c. *Cum illorum*, 32, h. t. et c. *de Cleric. excom. ministr.* cum concordantiis.

62. *III. Privatio præsentis, seu assistentiæ Missæ, vel aliis divinis officiis.* — III. Effectus est assistentia divinatorum officiorum, ita ut excommunicatus absque peccato mortali interesse non possit, vel aliis divinis officiis, puta, publicis orationibus, horis canonicis, processionibus, benedictioni olei, candelarum, aquæ, chrismatis, etc., c. *Significavit.* 18, c. *Responso.* 43, h. t. c. *Latrones.* cap. fin. *de Cleric. excom. ministr.* cum concordantiis Clement. 2, §. *Nonnulli.* h. t.

63. *Concionem tamen etiam in Ecclesia audire, et ibi orare potest, tempore, quo divina ibi non peraguntur, tenetur etiam privatim suas horas canonicas recitare?* — Concionem tamen in Ecclesia audire permittitur, tem-

pore quo nulla Missa, vel aliud divinum officium ibidem peragitur, idque ideo, ut citius ad pœnitentiam, et deponendam contumaciam præstandamque satisfactionem, et obedientiam Ecclesiæ excitetur, c. *Responso.* 43, h. t. et ibi doctores. Potest etiam privatim orare, imo tenetur privatim recitare horas canonicas, ad quas alias ut clericus vi ordinis, beneficii, vel professionis religiosæ obligatus est. Layman ubi supra, n. 6. Navarrus, in *Manual.*, cap. xxvii, n. 103.

64. *IV. Effectus est privatio sepulturæ ecclesiasticæ.* — IV. Effectus est privatio sepulturæ ecclesiasticæ, c. *Sacris.* 12, *de Sepulturis*, cap. *Consulisti.* 7, *de Consecr. eccles.* et Clem. 1, *de Sepult.* cum concordantiis: quem, sicut et alios effectus intellige non tantum de excommunicatis vitandis, sed etiam non vitandis, prout amplius diximus lib. III, tit. 28, *de Sepult.* a n. 84, ubi vide.

65. *V. Inhabilitas ad quævis beneficia, et officia ecclesiastica.* — V. Effectus est incapacitas, et inhabilitas ad dignitates, beneficia, officia ecclesiastica quæcumque obtinenda, adeo ut quævis collatio, præsentatio, electio, confirmatio, et institutio alicujus excommunicati ad beneficium sit ipso jure nulla et irrita, c. *Postulasti.* 7, *de Cleric. excommun. ministr.* ibi: « Cum excommunicatis communicari non debeat, clericis excommunicationis vinculo innodatis ecclesiastica beneficia deferri non possunt; nec illi ea valent licite retinere, nisi forsann cum eis misericorditer fuerit dispensatum cum ea non fuerint canonice consecuti, » cum concordantiis. Ratio est; quia beneficium datur propter officium divinum, cujus cum excommunicatus incapax sit, etiam ad beneficium inhabilis est. Quo non obstante valet excommunicatus beneficium ante excommunicationem rite obtentum retinere; imo etiam possessionem capere beneficii prius obtenti. Ratio est; quia a jure solum irritatur actus, quo acquiritur jus in beneficio, sive titulus illius, quem jam acquisitum apprehensio possessionis supponit.

66. *VI. Est privatio distributionum quotidianarum.* — VI. Effectus est privatio distributionum quotidianarum. Ratio est; quia hæc tantum dantur præsentibus publicæ resolutioni officii divini: cui cum excommunicati præsentibus esse nequeant, etiam distributiones quotidianas percipere non pos-

sunt, arg. c. un. *de Cleric. non resident.* in 6, juncto Concilio Tridentino, sess. 24, *de Res. c. 2.* Garzias, *de Benefic.* p. 7, c. 13, n. 125. Moneta, p. 2, *de Distribut.* q. 15, n. 18.

67. *Non item fructuum grossorum.* — Fructibus tamen grossis beneficii ipso jure non privat, Glossa, in c. *Pastoralis.* 33, c. *Subtrahuntur*, *de Appel.* Sanch., lib. II, *de Matr.* disp. 51, n. 12. Layman, ubi supra n. 9, cum communiore et veriori aliorum, contra Abbatem, in c. *Pastoralis.* n. 18. Gutierrez, lib. I, q. canon. c. 1, et alios. Ratio est; quia nullo juris textu privatio horum fructuum ipso facto infligitur; textus enim citati c. *Pastoralis*, « et illi proventus ecclesiastici merito subtrahuntur, » commode intelligi potest de sententia ferenda; consequenter ita intelligi debet, arg. c. *Odia*, *de Reg. jur.*

68. *VII. Est inhabilitas impetrandi rescriptum aliquod a Sede romana.* — VII. Effectus est, quod excommunicatus rescriptum aliquod sive gratiæ, sive justitiæ a Sede apostolica impetrare non valeat, et impetratum ipso jure sit nullum, nisi in ipsa causa excommunicationis, vel appellationis ad excommunicati defensionem impetretur, c. *Dilectus.* 26, *de Rescript.* et c. 1, eod. in 6, atque amplius diximus lib. I, tit. 3, *de Rescript.* § 2, a n. 39, ubi vide.

69. *VIII. Est privatio omnis jurisdictionis ecclesiasticæ.* — VIII. Effectus est privatio omnis jurisdictionis ecclesiasticæ, ita, ut tam in externo, quam interno foro acta jurisdictionis ab excommunicato facta ipso jure sint nulla, arg. can. *Audivimus.* 4, cau. 24, q. 1, c. *Ad probandum.* 24, *de Sent. et re judic.* cum concordantiis. Hinc excommunicatus non potest alium excommunicare, cit. can. *Audivimus*, neque conferre beneficia, arg. c. un. *Ne Sede vacante*, in 6, neque eligere, c. *Cum dilectus*, et c. *Cum inter.* 1, *de Elect.* ubi electio a suspensis celebrata censetur irrita; omnis autem excommunicatus hoc ipso est etiam suspensus ab officio.

70. *Qui tamen effectus locum non habet in excommunicatis toleratis, nisi contra ipsos excipiatur.* — Vult tamen Navarrus, c. 27, *Manual.*, n. 21. Pirhing, h. t. n. 18. Layman, lib. I, tr. V, p. 2, c. 4, n. 13, et alii, præfatum octavum effectum ipso facto in vitandis duntaxat excommunicatis, non item in toleratis locum habere, ita ut tolerati

præfatos, et alios jurisdictionis suæ actus libere exercere valeant, nisi contra ipsos tanquam excommunicatos, sicque minus idoneos excipiantur, arg. c. *Ad probandum de sent. et re jud.* Ratio est; quia ex una parte hoc ipso, quod excommunicatus aliquis tolleretur, etiam susinentur acta ipsius (nisi specialis deponatur exceptio) ne alioquin plura incommoda, et inconvenientia sequantur, quæ concil. Constantiense sublata voluit per dicenda infra. Ex altera vero parte dictum concilium excommunicatos nullatenus in aliquo relevare, aut eis quomodolibet suffragari voluit; ergo sicut ante hac, ita et nunc, facta saltem exceptione et oppositione, acta ipsorum sunt invalida.

71. IX. *Est privatio communionis forensis, seu actuum ad iudicium externum pertinentium.* — IX. Effectus est privatio communionis forensis sive actuum pertinentium ad iudicium externum sive ecclesiasticum, sive laicale, tam civile quam criminale, ita, ut in nullo horum excommunicatus possit esse iudex, actor, advocatus, tabellio, testis, etc. quod intellige de solis excommunicatis vitandis, de toleratis enim procedit doctrina num. præc. allata; adeo ut acta ab eis tanquam actoribus, advocatis, etc., facta valeant, si nemo contra illos tanquam inhabiles ad standum in iudicio excipiat, e contra vero si excipiantur, irrita existant, arg. c. *A nobis de Except.* et c. 1, eod. in 6. Et quamvis iudex excommunicatus vitandus a iudicio repellere graviter teneatur, textu expresso, c. *Decernimus*, 6, h. t. ac etiam toleratos repellere possit per jura citata, tamen hos repellere non tenetur, nisi excommunicatio notoria sit, vel aliquis contra eos excipiat.

72. *Excepto reo, qui ut talis in iudicio stare potest et debet.* — Limita tamen præfatum effectum in reo, utpote qui etiam ut vitandus excommunicatus, in quovis iudicio stare potest et debet; cum alias accusari et conveniri in iudicio non posset, consequenter ipse a sua malitia commodum reportaret, c. *Intelleximus*, 7, de *Judiciis*.

73. X. *Est privatio communionis politicæ.* — X. Effectus est privatio communionis politicæ cum fidelibus, ita ut cum eis nec contrahere, vel commercia aut negotia habere, nec cum eis cohabitare, convivere, familiariter conversari, officiose colloqui valeant, nec fideles cum ipsis, can. *Sicut*, 16, can.

Cum seqq. cau. 11, q. 3, c. Nuper, 23, c. *Aliquantis*, 41, h. t. cum concordantiis, de quo tamen effecta plura § 4.

74. XI. *Quod insordescens per annum in excommunicatione censeatur suspectus de hæresi, et nonnunquam convictus de crimine.* — XI. Effectus est, quod si quis per annum in excommunicatione insorduerit, id est, pertinaciter perstiterit, de hæresi reddatur suspectus, ita, ut contra illum tanquam de hæresi suspectum procedi possit, uti statuitur in concilio Tridentino, sess. 23, de *Reformat.* cap. III, ac insuper si nullum impedimentum alleget, seque purgare recuset, etiam condemnari valet ut hæreticus, c. *Cum contumacia, de Hæretic.* in 6. Ratio est, quia talis videtur omnino contemnere potestatem Ecclesiæ, cujus claves, et excommunicationem non timet, nec curat. Insuper si quis propter suspicionem hæresis, vel alterius criminis conjuncti cum contumacia (ut quia legitime citatus non comparet) excommunicatus fuerit, atque in tali excommunicatione per annum perseveraverit, censeatur convictus de illo crimine, arg. c. *Excommunicatus*, § *Qui autem de hæretic.* atque cum communi aliorum tradit Covarruvias, in c. *Alma mater*, § 7, n. 10, fusius hanc pœnam deducens.

75. *Qui effectus etiam toleratos excommunicatos afficiunt.* — Porro circa effectus excommunicationis majoris, hactenus recensitos specialiter notandum, iis non tantum excommunicatos notandos, id est, publice denunciatos, et notorios percussores clericorum, sed etiam toleratos, id est, quacunque alia etsi penitus occulta majori excommunicatione innodatos, exceptis casibus, quos circa unum vel aliquem effectum notavimus, subjacere. Ratio est, quia jura indistincte loquuntur, consequenter indistincte intelligi debent, arg. c. *Quia circa*, 22, de *Privilegiis*.

76. *Solvitur instantia ex Bulla Martini V.* — Nec in contrarium quid probat Bulla Martini V, *Ad evitanda*; quia per illam Bullam prorsus nullus factus est favor ipsis excommunicatis, sed tantum reliquis non excommunicatis christianis, quatenus nempe tuta conscientia cum excommunicatis communionem tam in divinis, quam politicis habere valeant, nisi fuerint publice denunciati aut notorii percussores clericorum; quod dum Pontifex statuit, ad finem expresse addit, quod « per hoc non intendat

excommunicatos in aliquo relevare, aut eis quomodolibet suffragari. »

77. *Ob gravem, et urgentem causam excusatur quis a lege hos effectus imponente.* — Notandum tamen, quod sicut ab observatione aliarum legum humanarum excusatur justa causa, v. g. ignorantia invincibilis, necessitas, gravis metus, vel grave periculum mortis, damni corporalis, gravis infamiae, jacturæ bonorum, officii, etc. sic etiam ob similem causam possit quis subinde excusari a lege excommunicatos præfatis effectibus afficiente; sic v. g. in causa necessitatis, deficiente alio sacerdote, potest excommunicatus administrare sacramenta infirmo; idem facere, sicut etiam ingredi ecclesiam, jurisdictionemque exercere potest, si ad id metu mortis, vel jacturæ bonorum adigitur. Pariter potest ille, qui occulta, sibi tamen bene cognita excommunicatione laborat, ad evitandum scandalum, gravem jacturam famæ, bonorum, etc. administrare, vel recipere sacramenta, ac divinis interesse, et cum aliis ultro conversari, etc. Dummodo id revera requiratur ad vitanda enarrata damna; ubi enim horum periculum adest, vel si est, alia ratione aut via, quam transgressione legis evitari potest, viam hanc amplecti, effectusque recensitos sustinere coram Deo graviter tenetur excommunicatus, juxta omnes.

§ III.

SOLVUNTUR QUÆDAM DUBIA DE EXCOMMUNICATIONE.

78. *Excommunicatio alia est lata, alia ferendæ sententiæ.* — Quæritur I. Quænam excommunicatio censeatur lata, et quænam ferendæ sententiæ; ubi nota, quod excommunicatio sit pœna, quæ nulla major in Ecclesia datur, c. *Corripiantur*, 24, q. 3, quia separat a corpore Christi, quod est Ecclesia. Quæ quidem pœna quandoque imponitur ipso jure, adeo utposito delicto mox incurrat, et dicitur excommunicatio lata sententiæ. Quandoque vero legislator eam comminatur delinquenti, ita, utposito delicto primum per sententiam iudicis sit imponenda, et appellatur excommunicatio ferendæ sententiæ, prout jam dictum est supra n. 146.

79. *Ex quibus cognosci valeat, quod excommunicatio sit lata.* — Resp. I. Hæc verba

legi pœnali inserta, « ipso facto, ipso jure ex tunc, sit excommunicatus, » etc. manifeste indicant excommunicationem latæ sententiæ. Idem dicendum, quando legislator sibi, vel legi suæ adscribit sententiam dicendo v. g. auctoritate nostra, virtute presentis constitutionis sit excommunicatus, etc. Similiter si lex utatur solo verbo indicativi modi præsentis, aut præteriti temporis, v. g. excommunicamus, excommunicationem se noverit incursum, sciat se esse excommunicatum, etc. ut post Suar. l. V, de *Legibus*, c. 6, notat Herinex, disp. 5, de *Legibus*, n. 7; Sylvester, §. *Excommunicatio*, 1, n. 22; Laym. lib. I, tract. V, p. 1, n. 3.

80. *Vel ferendæ sententiæ.* — Resp. II. Si lex solum comminetur pœnam excommunicationis nulla alia particula, v. g. prohibemus sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis, sub pœna excommunicationis contrafacientibus infligendæ, etc. continet excommunicationem ferendæ sententiæ. Idem dicendum, si lex utatur verbo, vel participio futuri temporis, v. g. reus erit talis pœnæ, subjacebit excommunicationi, et hujusmodi, dummodo nulla alia particula ex enumeratis n. præc. opponatur. Et hoc ipsum Herin. l. c. n. 4, verisimiliter censet de illis verbis absolute prolatis, « excommunicationem se noverit incursum. » Nam cum de tali excommunicatione ferendæ sententiæ possint prædicta verba absolute posita commode explicari, id erit faciendum; quia « in pœnis benignior est interpretatio faciendæ » juxta *Reg. 49, Jur.* in 6, cum concordantiis.

81. Resp. III. Insuper si lex utatur verbis imperativi modi, qui non afficiunt immediate ipsam personam, sed vel reatum pœnæ, v. g. reatum talis pœnæ incurrat, fiat reus excommunicationis; vel ipsam actionem iudicis, dicendo v. g. excommunicetur. Hujusmodi, inquam, locutiones solum continent excommunicationem ferendæ sententiæ. Idem dicendum, quotiescumque dubium est, an verba legis confineant excommunicationem latæ, vel ferendæ sententiæ: quia in « obscuris minimum est sequendum » per *Reg. 30, Jur.* in 6.

82. Dixi notanter, quæ non afficiunt immediate ipsam personam. Siquidem verba illa, excommunicationem incurrat, important excommunicationem ipso jure, ut bene post Tiraquellum notat Fagnanus, in c. *de*